



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Canonicis Novarien.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

\* In *Tertia* Col-  
la. remedio

constiterit, per totam provinciam tuam, nostra fretus auctoritate, exhortationis hujusmodi officium interdicas; missos etiam, si laici fuerint, excommunicatio- nis mucrone percillas; si Clerici vel Presbyteri fuerint, ab officio beneficii que suspendas, nullo prorsus privilegij benefi- cio vel appellationis \* refugio prava- lente. Eos vero quos in praedicta Eccle- sia lege tibi dioecesana subiecta post in- terdictum tuum divina celebrasse cog- noveris, ejusdem poena suspensionis in- voluens, in ea, donec reconciliata fue- rit, quemadmodum sacra praecipunt in- stituta, officia non permittas divina cele- brari. Presbyteros etiam suspensos ab Episcopis suis, & per dictos fratres ad of- ficia sua temere restitutos, in eandem suspensionis sententiam nostra fretus auctoritate reduces. Alios vero quos ad respondendum aliis secundum legem terrae pro praemissa causa asserunt non teneri, nolumus excusari, quin eos ad respondendum sublato appellationis im- pedimento compellas. Datum ut supra.

CANONICIS NOVARIEN.

Epist. 451.  
Significat se  
confirmasse sen-  
tentiam pro ip-  
sis latam contra  
Albertum Sic-  
cum.  
Cap. Causam.  
De sententia  
re iudicata.  
Vide supra epist.  
39. & seq.

Causam quae inter vos & dilectum filium Albertum Siccum Clericum super praebenda Novarien. Ecclesiae vertebatur, quae quondam fuit venerabilis fratris nostri P. Novarien. Episcopi, de qua se dicebat idem Albertus per bo- nae memoriae C. Papam praedecessorem nostrum fuisse per annulum investitum, coram nobis diutius ventilatam, venerabili tandem fratri nostro Lauden. Episcopo de consensu partium appellatione remota commisimus terminandam. Qui, sicut ex literis ejus accepimus, utriusque partis rationibus plenius intellectis, pro vobis contra dictum Albertum diffinitivam sententiam promulgavit: a qua fuit ad nostram audientiam appellatum. Dic- to igitur Alberto & magistro I. & V. procuratoribus Ecclesiae vestrae in no- stra propter hoc praesentia constitutis, idem Albertus probare multipliciter ni- tebatur sententiam ipsam iniquè latam fuisse, ac propter hoc debere non im- merito retractari: dictis procuratoribus vestris defendentibus sententiam, & eam petentibus confirmationis nostrae praesidio communiri. Nos igitur auditis quae fuerant hinc inde proposita, & di- ligentius intellectis, habito etiam cum fratribus nostris super hoc diligenti

tractatu, licet ex parte ipsius Alberti fuisset propositum quod contra formam mandati nostri dictus Episcopus senten- tiam promulgaverat, sicut per attesta- tiones nitebatur probare, quia tamen judicis animus non semper ad unam pro- bationis speciem inclinatur, & ipsa sen- tentia nihil continebat iniquum, & ei- dem iudici de communi assensu partium causa fuerat appellatione remota com- missa, qui, ut sententiam ferret, post examinationem causae ab utraque par- tium fuerat requisitus, sententiam ip- sam de fratrum nostrorum consilio au- ctoritate curavimus apostolica confir- mare, ac eam per venerabilem fratrem nostrum P. Portuen. Episcopum diffini- vimus observandam. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. Datum Laterani VI. Idus Decembris.

VRGELLEN. EPISCOPO.

Sicut venerabiles fratres nostri Ter- raconen. Archiepiscopus & suffra- ganei ejus suis nobis literis intimarunt, inter multas tribulationes & angustias quae invenerant nos nimis temporibus tuis, & propter insufficientiam tuam, Ec- clesiam Vrgellensem, nec possent facile propter multitudinem enarrari, culpa- tuae illud imputari & poterat & debebat quod cum episcopatum ipsum (ut fama testatur) minus canonicè fueris affecu- tus, quod malè ceperas, deteriori exitu conclusisti; cum difficile sit ut bono per- agantur exitu quae sunt malo inchoata principio. Verum cum tempore proce- dente mala publicarentur in terra, nec imminentibus periculis opponere te au- deres, ut tanquam murum te ipsum pro domo Israel ponens, ascenderes ex ad- verso, & in die Domini, sicut athleta Christi, fortiter dimicares, insalutatis fratribus clanculo recessisti; ut ex ipsis operibus mercenarium, qui videns lu- pum venientem dimittit oves, & fugit, te ostenderes, non pastorem; & ingres- sus monasterium de Aspirano ab aposto- lica sede licentia non petita, cui soli Episcoporum depositio, cessio, & translatio reservatur, Vrgellen. Canonicis per li- teras indicasti quod propter insufficien- tiam & occultam tui corporis aegritudi- nem non posses ulterius ministrare: qui- bus, de rebus tuis condito testamento, & facta renuntiatione in scriptis, eligen- di Pontificem & providendi Ecclesiae

Epist. 451.  
Renuntiatione  
Episcopatus  
approbat.